



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Quia ignorans feci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

cit, non est Lex posita, non condemnat eum. Hanc doctrinam de liberatione à Lege, et de usibus Legis breuiter hic recitatam, alibi copiosius expositam relegite.

*Quia ignorans feci.*

Discernit persecutores ut Roman: 10. & 11. aliqui conuertuntur, aliqui non conuertuntur. De hoc discrimine & Matthæi 12. dicitur: Qui dixerit sermonem contra Filium hominis, remittetur ei, Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hac neq; in futura uita. Hic multa disputantur de blasphemia seu de peccato irremissibili, Nos prius teneamus hanc regulam, Mandatum de conuersione sine ulla dubitatione uniuersale est, sic & sine ulla dubitatione promissio Gratiæ uniuersalis est, Sicut Dominus inquit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et horrenda contumelia est aduersus Filium Dei, cogitare regnum Diaboli potentius esse Christo, cum quidem dictum sit Rom: 5. Gratia exuberat supra peccatum, Et sancita sit promissio Iureiurando, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, &c. Confugiamus igitur ad Filium Dei, & sustentemus nos promissione, & repugnemus dubitationi.

Hæc sunt mandata diuinitus, & tales sentient

C 5      consolatio

I. EPISTOLA AD

consolationem et recipientur, Ita iudicemus à posteriore, hos non habuisse peccatum irremissibile, Sic seruatus est Paulus & alij multi persecutores, Et quidem Paulus inquit, suam conuersionem exemplum & testimonium esse regule, quod Deus uerè uelit Gratis propter Filium recipere peccatores confugientes ad Filium, Sic seruati sunt Aaron & Petrus, quanquam scientes lapsi sunt.

Contrà uerò multi persecutores pereunt horribili odio Dei, ut Iudas, de his à posteriori iudicari potest habuisse eos peccatum irremissibile: Sed ijdem scientes & uolentes perseuerarunt in illo horribili odio aduersus Deum, nec confugerunt ad Filium Dei. Nec subtilius queramus à priori quòd sit peccatum irremissibile, Paulus aliquod discrimen indicat, cum ait: Quia ignorans feci.

Sed hic oriuntur quæstiones, Aaron, Petrus, Manasses, non peccauerunt ignorantia, & tamen recepti sunt, & esse aliquod discrimen exempla ostendunt. Aliter deliquit Diabolus sciens & superbe despiciens Deum, Aliter Adam, Aaron, scientes, sed superati infirmitate? Sed nos omitamus has quæstiones & iudicemus de uoluntate Dei iuxta uerbum ipsius, Hunc audite. Omnis qui credit in Filium, habet uitam aeternam, Amen.

seruati

feramus Filium Dei, & Iusiurandum toti regno peccati. Sciamus etiam anteferendum esse Filium Dei uoci Legis, Etsi autem hæc pugna difficilis & magna est, tamen hæc regulæ ueræ sunt, & non negligendæ iuxta illud Moysi capite 18. Qui non audierit Filium, ego ultor ero.

Hanc consolationem ueram, ut dixi, teneamus, & nos ipsos exuscitemus, & alios omnes hortemur ad pœnitentiam & ad fidem, Sicut & Apostoli hos ipsos hortantur ad pœnitentiam quibus Acto: 4. dicunt: Hunc autem Iesum uos crucifixistis: Et multi ex his uerè conuersi sunt ad Deum. Et sint nobis in conspectu exempla Aaron, Pauli & multorum aliorum, qui cum fuissent persecutores postea conuersi sunt. Si qui uerò nolunt audire hanc consolationem, quid atinet de eis disputare, cū eo ipso horribiliter peccent, quod tūc negant hanc uocem Euangelij, Gratia exuberat supra peccatū, Et ita ardent odio, ut potius malint fieri æterni hostes Dei, quàm confugere ad Filium. Hoc modo pereunt multi omnibus ætatibus, ut Saul, Achitophel, Iudas, Arrius, & nostro tempore Latomus Louaniensis, Hoffmeister, & alij multi, quorum exemplorum cogitatione expauescamus & petamus nos regi & confirmari Spiritu sancto, Sicut scriptum est Lu-

cæ 11.

## I. EPISTOLA AD

ca 11. *Quantò magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus: Et pio studio discamus ueritatem, & caueamus ne eam oppugnemus.*

*Ceterum sunt discrimina inter errata ignorantie, & delicta contra conscientiam, quæ utriusque multiplicia sunt, Nam & affectata ignorantia delictum est contra conscientiam, Et interdum fit affectata ignorantia blasphemia, ut in multis Phariseis cum uidelicet corda conuicta testimonijs diuinis, tamen ardent odio, & conantur delere uocem Dei, Et alijs persuadere esse eam Diabolicam. Hæc discrimina peccatorum iudicari postea possunt, cum uidemus aliquos indulgentes suis furoribus ad pœnitentiam redire noluisse.*

### *Certus est sermo.*

*Supra de Lege concionatus est, nunc inserit summam Euangelij, sed ualde breuiter, quia scribit ad auditorem qui fuerat ipsius comes longo tempore, & benè cognouerat totam doctrinam uocem. Ac initio asseueratio posita est, Certus est sermo & firmissimè amplectendus. Hac asseueratione in nobis quoque fidem confirmemus, ut ex dubitationibus eluctemur, & uerè statuamus nos recipi & exaudiri.*